



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Responsa Moralia In Causis Justitiæ Commutativæ De Restitutione & Contractibus


De Contractibus - Præcipuè ad commodum, atque usum Venerabilis Cleri
edita

Heislinger, Anton

Ingolstadij, 1726

Casus IX. De Commissario minori, quàm jussus fuerat pretio frumentum
comparante.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40177



CASUS IX.

De Commissario, minori, quam iussus fuerat pretio fumentum comparant.

Commissarius Bellicus iussus à suo principe pro exercitu emere 1000. Scaphas tritici, singulas pro novem, emit istas pro septem, sibi applicans residua duo millia florenorum tanquam fructum suae industriae, post aliquod tempus, cum videret triticum antea emptum non amplius exercitui necessarium esse, vendit illud confederatis suo principi ducibus, & quidem singulas Scaphas pro duodecim, circa hanc tamen venditionem, nullum eidem pretium à suo principe taxatum fuerat Commissario: ex his iterum sibi 2000. Florenorum tanquam fructum industriae retinet, suoque Principi 900. Florenorum, quae ad 1000. Scaphas comparandas ab initio acceperat, & non plures, restituit.

Q. 1. Utrum, qui iussi fuerunt certo pretio res vendere aut emere, possint sibi retinere excessum, quo illas pluris vendiderunt, aut vilius emerunt?

Q. 2. Quid de hoc nostro particulari casu sit pronuntiandum?

SYNOPSIS.

§. I.

Resolvitur primum Quæsitum.

Utrum, qui iussi fuerunt certo pretio res vendere, aut emere, possint sibi retinere excessum, quo illas pluris vendiderunt, aut vilius emerunt?

1. Excessus pretij iusti parti lese est 2. Domino autem ex ignorantia pobi, quam merces valet, famulo ad emere.

- emendam aliquam rem suppedi-
tanti.
3. Ementis nomine alterius aliquid varia potest esse conditio.
 4. Varios modos, quibus res comparanda, prescribere Dominus suo famulo potest.
 5. Vendens, aut emens aliquid nomine alterius ultra vel infra pretium sibi assignatum, non potest per se excessum sibi appropriare.
 6. Neque ex titulo donationis.
 7. Neque ex titulo proprietatis.
 8. Neque ideo, quia rem illam sibi prius emit, carius dein alteri vendendam.
 9. Neque ex titulo mercedis.
 10. Neque ut fructum propriæ industriae.
 11. Ex circumstantiis, in quibus excessus à negotiatore tali retineri subinde potest, est extraordinaria illius in negotiando industria.
 12. Vel quia rem sibi à Domino traditam industria non debita melioravit.
 13. Aut illam antea pro se emerit.
 14. Aut principalis vendens expressè, vel tacitè negotiatori excessum hunc donaverit.
 15. Quæ tamen non semper presumenda.
 16. Neque licitè excessus semper retinetur, eò quòd nemo gratis censetur servire.
 17. Aut quod negotiator potuerit rem vendere, non tamen voluerit offerenti minus, sed vendiderit offerenti majus.
 18. Hinc Commissarius noster excessum 3000. florenorum ex venditione frumenti confederatis facta pro se retinere non poterit.

§. II.

Resolvitur secundum Quæsitum.

Quid de hoc nostro particulari casu sit pronuntiandum?

19. Ubi nec illum, quem antea ex emptione tritici minore pretio facta.
20. Quibus non sunt contraria, quod Busenbaum habet hæc dub. 8.

§. I.

Resolvitur primum Quæsitum.

Utrum, qui jussi fuerunt certo pretio res vendere, aut pro alio emere, possint sibi retinere excessum, quo illas prioris vendiderunt, aut vilius emerunt?

Pro Solutione Quæsitæ 1. Notandum est, pretium rei aliud esse justum, aliud injustum: justum præterea vel esse summum, medium aut infimum, quòd si res sit empta majore, quàm fuerit justum pretio, aut vendita majore, certum est omnibus, hunc excessum injustum parti læsæ restituendum esse, non autem Domino, cujus nomine res empta vel vendita injustè fuit, consequenter neque à Commissario retineri poterit.

2. Certum est. Si jubens suo nomine emere aliquid, ex ignorantia, & errore judicavit, rem emendam tanto valere pretio, quantum alteri suo nomine ementi ad illam rem comparandam dederat, res autem tanquam minus valens inferiore pretio empta fuerit, residuum restituendum Domino esse, cum in excessum ut applicandum ementi nec tacitè nec expressè consenserit; in casu autem venditionis res, quantum valet suo domino valeat.

3. Sciendum est. Qui alterius nomine aliquid vendit, vel emit,

posse esse aut famulum mandatis, aut in hunc finem mercede ab hoc conductum, aut gratis ad hoc officium se obtulisse, vel amicum rogatum condixisse suam operam, & quidem vel in talibus circumstantiis, in quibus Dominus nulli, alij suo famulo hoc officium committere potuit aut voluit, vel taliter, ut Dominus suo famulo aut alij mercede in hunc finem conducto hanc emptionem aut venditionem demandasset, nisi ille Commissarius asseruisset se gratis hoc officium ejusmodi Domino præstiturum esse.

4. Sciendum. Possè Dominum indeterminatè suo Commissario dicere, ut justo pretio hanc suam rem vendat, vel illam emit, vel aliquid determinatum pretium explicite addere. His præmissis.

Dico: per se non potest, nisi negotium datum fuit, retinere, quod supra expressum à Domino pretium ex re vendita redegit, neque sibi applicare excessum, qui remanet & redigitur ex minori, quàm quod

quod à Domino expressum fuerat, pretio, in rem emptam expenso. Ita communiter cum communi sentiunt Major Sylvester, Conradus, Petrus de Lederma Navarrus in *manuali c. 23. n. 97.* Saa. *venditio n. 11.* Molina *tract. 2. disp. 363. n. 1.* Salas *tract. de empt. dubit. 45. n. 2.* Lugo *disp. 26. sect. 9.* Palao. *de iustitia commutativa disp. 5. puncto 16.* Tamburin. *l. 8. tract. 3. §. 9.* Sporer. *parte. 2. tract. 6. cap. 5. sect. 1.* Lessius *l. 2. c. 21. dubitat. 19.* Illfung *tract. 4. disp. 2. q. 8. a 1. §. 2.* Taberna. *tract. 2. cap. 14.*

Probatur Conclusio ratione, huiusmodi agens nomine alterius, quem vocamus Commissarium, non habet titulum retinendi pro se hunc excessum seu residuum: ergo non potest sibi retinere. probatur anteced. si haberet titulum retinendi, tunc iste vel oriretur ex titulo donationis, vel ratione proprietatis; vel quòd rem taxato pretio vendendam sibi ipsi hoc pretio emerit, ac postmodum ut suam carius vendiderit, aut denique ex titulo mercedis: sed ex nullo horum habet titulum, ergo &c.

6 Probatur primum membrum minoris. Si ratione donationis excessum retinere posset, tunc idèd, quia dominus definiens pretium, voluit isto contentus esse, & reliquum Commissario donare: atqui hoc est falsum. Probatur minor. ejusmodi designatio pre-

tij ordinariè solum fit, ne infra illud pretium vendatur, aut supra illud ematur; non verò, quòd Dominus nihil ultrà desideret: ergo &c.

Confirmatur, nemo censetur velle prodigere rem suam: ergo definiens pretium non censendus est voluisse residuum donare commissario.

Sed neque ex titulo proprietatis aliquid retinere potest. Probatur, res vendenda quamdiu non fuit alienata & tradita, adhuc est Domini, qui vendendam tradidit: ergo proveniens ex re vendita tanquam sibi propria, lucrum neutiquam retinere poterit ex titulo & jure proprietatis. Confirmatur, Mediator ille negotium, & partes domini rei agebat: ergo ad rei dominum spectare debet emolumentum aut detrimentum.

Neque etiam tertio potest dici, quòd iussus aliquid vendere definito pretio, rem istam statim sibi hoc pretio emerit, majore autem alteri, ut suam vendiderit vel vilioze pretio ab alio sibi emerit, postmodum verò, ut suam cariore pretio vendiderit Domino, consequenter lucrum reportatum retinere possit, tanquam factum ex re sua, probatur, voluntas domini regulariter non est, ut solum pretio designato vendatur, sed ut tanto, quanto potest: ergo non videtur in hanc emptionem ut faciendam in istis circumstantiis consentire, consequenter nulla intercedit venditio.

Pro-

Probatur 2. vel talis Commiffarius sibi emens ejusmodi rem est ita constitutus, ut si rem postea non possit aliis vendere pretio à Domino definito, sed minore, paratus nihilominus se restituere domino pretium definitum, & ex suo residuum addere; vel non est ad hoc paratus? item vel vult etiam in se suscipere periculum illius rei, si fortè interea perierit, vel hoc non vult? si hæc onera in se suscipere non vult, prout ordinariè non vult, non potest dici, quòd sibi illam emerit.

An autem volens in se hæc onera suscipere, & quando rem talem sibi emere possit, inferius num. 13. declarabimus.

9 Sed neque potest illum excessum retinere titulo mercedis, vel enim is, cui emenda vel vendenda definito pretio res concessa fuit, est famulus committentis; vel mercede ad hoc est constitutus; vel gratis in se suscipit venditionis laborem tanquam amicus? sed nullus horum potest hoc facere: ergo. non primi duo; eò quòd famulus aliunde jam sit ad hoc obligatus, alteri verò ponatur jam alia fuisse merces constituta. Sed neque tertius, eò quòd gratis tanquam amicus vel volens præstare Beneficium in se negotium susceperit.

Confirmatur subinde & à priori excessus ille superat quantitatem mercedis: dein etsi ponatur huic esse æqualis, non tamen

est licitum, ut vendens sibi met ipsi compensationem occultam faciat, sed tenetur pretium tanquam fructum rei vendite Domino repræsentare, ac dein actione negotiorum gestororum stipendium laboris petere, & cetera enim compensatio tunc solum habet locum, quando omnis alia via preclusa est suum debitum obtinendi.

Nec denique 5. Ut tux industria fructum: eò quòd hanc vel gratis obtuleris, vel pro pretio locaveris, aut ut famulus ad hanc aliunde fueris obligatus; in quolibet autem casu ex istis circumstantijs annuisti, & saltem tacite promissisti, te velle ejus nomine & commodo per moralem diligentiam utiliter rem alterius emere, quanto minoris potes, vel vendere quanto majoris potes; ergo nullum industrie fructum expetere poteris.

Confirmatur nostra conclusio ulterius etiam ex hoc, tota res vendenda, quantum justè valet, & veluti fructificat, domino valet & fructificat: ergo cum Commiffarius non suo nomine sed alterius rem illam vendiderit, totum pretium alteri & non sibi acquisivit: ergo nihil ut suum retinere potest. Confirmatur 2. Deliquit pretium, infra quòd res sua non sit vendenda, vel ultra quòd non sit aliena emenda; non hoc ipso consentit in ablationem hujus sui juris: ergo cum absque consentu in ablationem hujus sui juris ha-

beat jus ad totum pretium rei suo nomine vendendæ, vel ad partem pretij pro re emenda non expensæ, ideo hoc jus adhuc retinet: ergo non potest Commissarius hunc excessum sibi retinere.

¶ I Hucusque ostendimus per se non posse excessum pretij definiti à Commissario retineri, interea tamen agnoscunt Authores esse possibiles quasdam circumstantias ac titulos, in quibus aliquid retineri possit. Primus horum potest esse extraordinaria & major, quam debebatur, vel gratis oblata, aut promissa fuerit in vendendo, atque ultra intentum domini ascendens industria, ac labor: qualis industria indebita judicatur fuisse adhibita, si jussus vendere in loco, in quo pretium à Domino taxatum non invenit, aut non nisi taxatum invenit, transferat rem in alium locum valde distantem, ubi majus pretium invenit. In hoc enim casu excessum supra pretium taxatum permittunt Commissario Gabriel *4. dist. 15. q. 10. art. 3. dub. 4. Graffis, Saa, Molina & Salas.*

¶ II Item si Commissarius rem à domino sibi traditam industriâ non debita melioravit. Ratio hujus est, quia tales personæ non tenentur, nisi ordinariam & moralem diligentiam adhibere: cum ergo hæc ponatur esse extraordinaria, ideo illam adhibens non intendit Domino, sed sibi negotiari: ac licet hoc non obstante res

pro Domino vendatur, aut ematur, quocumque portetur, & sic Domino suo fructificet in rigore: cessatur tamen Dominus rem suam alteri vendendam tradens ab hoc solum expetere pretium vulgare in suo territorio per moralem, & ordinariam diligentiam acquisitum, cætera verò remittere Commissario, saltem non curare, præsertim quoad lucrum non nimium excedens. Ita Tamburini, *c. 7. §. 2. n. 10.* quæ tamen omnia justissimè limitat Card. de Lugo *n. 150. loci citati*, dum asserit, industriam extraordinariam & meliorationem indebitam debere esse æquales excessui pretij, si enim excessus pretij major sit, non apparebit titulus, quo retineri possit, cum ponatur alteri, non autem sibi negotiatus fuisse Commissarius.

Alter titulus retinendi excessum potest esse emptio, si scilicet is, cui vendenda res à Domino fuit commissa, sive fuerit famulus, aut mercede conductus, sive gratis suam operam obtulerit, eam prius pro se verè emerit, postea verò cariore pretio vendat alijs. Ita censet Lessius *l. 2. c. 21. n. 139.* Salas *cit. dub. 45. n. 3.* Lugo *n. 150.* Gibalin. & alij. Ratio est, quòd talis rem emptam suam fecerit; vendens autem rem suam faciat etiam pretium suum, ut autem rem hanc sibi emere possit Commissarius, requiritur, ut prius moralem diligentiam adhibuerit in

Q

quæ-

quærendo majore pretio, si definitum à Domino infimum, aut medium non excedat, & tunc si invenit majus, poterit eodem ipse emere: vel si majus non invenit, emere illo expresso; & postea si majore vendiderit, excessum sibi acquirere: sicuti idem ipse damnus pateretur, si non nisi minore, quam quo ipse emerat pretio, postmodum vendere debuisset. Neque dicas, non posse famulum mercede conductum, aut amicum gratis suam operam offerentem, his quoque observatis rem sibi emere, etiam secluso speciali pacto, vel mandato contrario: cum enim Domino parum intersit, quis erant, dummodo justum pretium, quantum adhibita diligentia sufficienti potest, ex venditione redigatur: insuper non teneatur Commissarius se neglecto alios præferre, istisque lucrum cedere, quod ex emptione isti facere possunt, non apparet ratio illicitam Commissariis hanc emptionem faciens.

14 Tertius titulus retinendi excessum supra designatum rei venditæ pretium est expressa, vel tacita conventio, vi cujus Dominus se monstrat contentum designata pretij quantitate, cederique excessum, si quis foret, Commissario: in hoc enim casu pro titulo habetur gratuita donatio à Domino rei facta.

15 Dubium solummodo remanet, quandonam hæc tacita conventio

in Domino præsumenda sit? circa quod certum videtur, & communiter à Doctoribus, aut supponitur, aut expressè pronuntiat, non esse illam præsumendam, quando famulus, vel conductus pretio ad vendendum, vel emendum servit; eò quod isti uti jam insinuatam fuit, aliunde suam mercedem accipiant. Insuper rem illam non suo, sed alterius nomine vendentes non poterint eius pretij partem sibi acquirere, sed totum ei, cujus nomine contractum celebraverant, acquirerint. Neque aliquid pro talibus Commissariis facit, quod pretium Dominus desiniverit, eò quod per hujus designationem Dominus exprimere solum velit, nolle se, ut infra illud vendatur. Quare non audiendus hic erit Angelus verbo *emptio* absolute allatens, excessum semper esse Commissarii vendentis, si Dominus pretium determinaverit non obstante pretio, quod pro suo labore aliunde accipiam, eò quod judicet, hoc pretium solummodo dari pro inveniendo emptore determinatum illud pretium dante.

Tota igitur difficultas ad eos 14 devolvitur, qui nullo conductu stipendio rem vendendam accipiunt: quos inter adhuc discrimen est faciendum: vel enim ipsi ultrò, & gratis suum officium ad ista obtulerunt; vel ex officio sibi proprio proxentis agunt; quod

quod si proxenetæ res vendenda cum definito pretio fuerit concedita, nullum tamen stipendium eidem constitutum fuerit, ex hoc pacto excessum supra taxatum pretium proxenetæ concessum fuisse judicant Grassis, Petrus Lederma, Conrado, Navarrus, Salas, Card, Lugo, Palao. Ratio hoc asserendi solet esse, quod Dominus bene sciat, talis conditionis personas suam vitam sustentare consuevisse ex ejusmodi venditionibus: ergo si nullum eisdem stipendium determinavit, excessum loco mercedis eisdem condonasse præsumitur, illos quod attinet, qui ultrò sua obsequia etiam gratis obtulerunt, vel isti sunt tales, ut Dominus faciliè advertere potuerit, illos, licèt suam operam gratis offerant, occultam tamen compensationem facturos esse, eò quod vel nimitum sint pauperes, vel non vulgarem laborem susceperint, & tunc tale pactum & condonatio excessus præsumi poterunt; vel non sunt ita constituti, & tunc, si gratis sua obsequia obtulerint, etiam gratis debebunt illa exsolvere.

Obijciat hic aliquis, Qui gratis suam operam promisit, & dein excessum retinet, futurum illum mendacem quidem, sed non injustum. Sed contra est, vel Dominus loco hujus suam operam gratis offerentis potuisset faciliè invenire alium v. g. servum, aut amicum, qui non tantum gra-

Q 2

quan-

tis obtulisset, sed etiam gratis præstitisset suam operam; vel hujus generis ipse Dominus per se ipsam peregrisset hæc omnia? si hoc ultimum potest transmitti, quod tacite in hoc Dominus consenserit, si excessus sit proportionatus operæ impensæ: non autem si prius. Si enim faciliè potuisset habere alium, qui reverà gratis contulisset hanc suam operam, negotium istud venditionis, aut emptionis non commisisset illi, cui tale stipendium debet solvere: ergo Dominus per hoc mendacium à tali Commissario fuit deceptus, atque ad subeundum damnum inductus: ergo alter scilicet Commissarius est obligatus ad damnum, quod Dominus ex sua falsa promissione patitur, reparandum & consequenter ad restituendum etiam excessum. Accedit, quod taliter deceptus Dominus judicet sibi beneficium à tali promittente exhibitum, & ob hoc singulariter se eidem obligatum esse, imò etiam conetur ipso opere se illi gratum præstare obsequijs alijs vel beneficijs: est autem æquitati contrarium, ut Commissarius utrumque commodum Domino rei inscio accipiat. Denique cum iste actione negotiorum gestorum petere possit à Domino rei justum stipendium, si non intendit gratis suam operam apponere, non erit ipsi Commissario licitum occulta compensatione uti. Cum huic tunc solum locus esse soleat,

quando debitum aliâ viâ obtineri nequit. Si dicis, verecundia prohiberi Commissarium, ne stipendium expetat. *¶* verecundiam nequaquam Commissario licitam facere occultam compensationem cum tanto dispendio Domini rei, qui meritò scire desiderat, an pretio sit opera præstita, vel an illud ipse solverit, & quantum, an pretij Beneficium acceperit.

¶ Ob. 2. Possè contingere, ut mediator dicat, potuisse se rem vendere cuidam, qui decem illi offerebat, noluisse que rem eam illi dare, sed quæsisse alium emptorem: ergo excessum poterit sibi retinere, *¶* neg. conf. Ratio est, quòd etiam apposita quacunque diligentia lucrum ad Do-

minum spectet, tanquam reportatum ex re, quæ erat illius, hoc ipsum tenendum in casu, quo quis rogatus, ut rem alteri quamquam emat, emere possit rem illam à quodam duodecim, quasvis autem aliam, qui illi rem illam vendidit decem; non enim incrementum horum duorum florenorum retinere poterit: hoc enim totum continetur in industria, quam ille alius ab eo rogavit, egiusque negotium alterius: dein si postea inveniret aliquem, qui majori pretio, quam duodecim venderet, detrimentum hoc in se neutiquam susciperet Commissarius, sed pertineret ad Dominum rei, in etiam commodum ad hunc spectare debet.

§. II.

Resolvitur secundum Quæsitum.

Quid de hoc nostro particulari casu sit pronuntiandum?

HActenus in genere, & universaliter disputata facile casui nostro applicare possumus, circa quem judico. Commissarium nostrum ex nullo prorsus titulo potuisse retinere tria illa millia florenorum, ex eo quod triticum novem millibus pro Cæsare cõemptum vendiderit confederatis florenorum duodecim millibus.

Cùm enim Cæsar nullum pretium, quo vendendum esset confederatis, triticum deserviret, nec potest prætere, quod pretio 9000, contentus fuerit, cõpensatione suæ operæ, ac singularis cujusdam industriæ; cùm ad hanc operam aliunde vi sui officij teneret obligatus. Neque etiam apparet singularis industria ex eo, quod confederatis in loco, ubi trit-

triticum affervabatur subsistentibus istud vendiderit: alias quis-cunque habens mandatum univer-sale vendendi triticum, cum com-moda occasio & justum pre-tium se obtulerint, dicendus erit singularem, & extraordinaria compensatione remunerandam, induitiam adhibuisse, si honesto & tunc currente pretio triticum in loco vendiderit. Neque credo contentos fore, Prælatos or-dinum Religiosorum, si rescie-rent, granarios suos reservasse sibi ex pretio venditi frumenti tot florenos, quot illi carius vendiderunt tale triticum, quam hoc à Prælati fuerit antea emp-tum, etiamsi nullum determinatum pretium ex venditione col-ligendum ejusdem determinatum fuerit, quæ omnia confirmare videtur de la Croix dum tomulo 2. l. 3. p. 1. de furto n. 1047. casum ponit, in quo dominus mandaret procuratori suo mille-nos poni ad censum A pro 40 annuis; & procurator posuisset ad centum B: pro 50 annuis, simulque resolvit procuratorem istum non posse hos decem annuos sibi re-tinere, eò quod censum B. ce-lebrasset nomine & pecunia man-dantis, & propterea fructus to-tus sit mandantis; cum igitur etiam in nostro casu venditio hujus frumenti nomine Cæsaris sit celebrata, etiam fructus to-tus erit Cæsaris mandantis, quæ omnia etiam ex eo confirman-

tur, quod Mandatarius tenea-tur ad exactam diligentiam: at-qui non adhiberetur exacta dili-gentia, si oblata occasione carius vendendi id non faceret in gra-tiam mandantis: ergo si hanc diligentiam adhibuit, ea debet mandanti prodesse: ergo non potest illud augmentum in suum commodum vertere: cum hoc modo actione mandati conveniri posset Haunold. de Jusi. tom 4. cap. 6. controv. 6. n. 683.

Sola igitur difficultas est circa emptionem tritici, circa quam iterum certum est, quod ratio-ne laboris nihil prætere vae-leat; cum ad hunc subeundum ex officio suo sit obstrictus nec extraordinarium quendam atque sua obligatione longe majorem conatum adhibuerit, cum totus labor in illo constiterit, ut vici-ni rustici, qui tunc ut hostes habebantur, juberentur desidera-tam frumenti copiam in designa-tam urbem advehere. Dubium itaque solum illud remanet, an non præsumi potuerit, mentem Cæsaris fuisse, ut excessum sibi retinerent Commissarii, si viliori pretio, quam novem florenis quamlibet scapham tritici compa-rare possent, circa quod dubium quid sentiendum sit, sufficienter constat, ubi vidimus ordinariè definiri pretium à Dominis, ut ostendant nolle se ut cariore pre-tio ejusmodi res ematur, non au-tem si minore sumptu compara-

ri valeat, excessus sit penes suum famulum mercede ad hoc præstandum aliàs jam obligatum; quam mentem etiam Cæsari fuisse, videtur ex circumstantijs meo iudicio clarescere, à quibus enim petebatur triticum, illi tunc hostium loco habebantur, consequenter poterat totum sine omni pretio expeti, quod cum pro tunc non vellet Cæsar facere, neque forsitan ex altera parte voluerit iustum & tunc currens pretium adæquatè solvere, ideo iusserat singulas scaphas novem florenis solvere, & rusticos hac summa contentos esse: si considerentur rustici, optimè isti prospiciebant, sibi maximam gratiam hic & nunc fieri, si aliquod pretium quodcumque demum pro frumento reciperent, cum ergo timerent, ne petendo iustum nimium exacerbarent Cæsareanos & hinc omni pretio destituerentur, maluerunt aliquam eamque minorem iacturam pati, quam omni penitus pretio privari, ideo dixerunt se septem florenis pro qualibet scapha contentos fore, residuum pretij non ipsis Commissarijs, sed Cæsari donantes.

Hæc omnia confirmantur ex iuribus, quæ dicunt, quod mandatarius possit causam mandantis facere meliorem, ut §. 8. *Instit. hoc Titulo*, ibi, quod si minoris emeret, habebis scilicet cum eo mandati actionem, quoniam qui mandat, ut sibi centum aureorum fundus


emeretur, is utique mandasse intelligitur, ut minoris, si possit emeretur. *§. Leg. 5. §. uli. ff. hoc titulo.* Melior autem causa mandantis fieri potest, si cum tibi mandassem, ut sicum decem emeret, tu eum minoris emisisti, vel tantidem vel aliud quidpiam seruo accederet, utroque enim casu aut non ultra pretium aut intra pretium fecisti.

Opponet hic aliquis auctoritatem Patris Busenbaum, qui de emptione & venditione dubio §. ait, si cui datum est aliquid pretio vendendum, v. g. infimo vel moderato, *§. is vendat riguroso, probabile est, ut habet Angel. V. emptio non teneri restituere, sed posse retinere excessum, cum sua industria acquisiverit.* ergo etiam in hoc casu excessus retineri poterit.

Verum meo iudicio non est nobis contrarius Busenbaum & primo quidem ex eo quod non loquatur de casu, in quo alieno nomine vendens jam aliunde est obligatus ad procurandum bonum domini omni meliore modo, sicuti obligatus erat Commissarius noster. 2. cum dicit Pater Busenbaum loco allegato retineri tunc aliquid posse ob industriam; non de qualicumque ordinarie & communiter adhiberi solita industria locutus fuit, sed voluit hanc esse extraordinariam, & majorem debita, ut sufficiens titulus ad aliquid retinendum habeatur; atqui hæc regula

gularis industria in hoc casu plane defuit, cum non minorem industriam adhiberi potuerit, quam imperare circumjacentibus rusticis, ut desideratum frumentum adveherent, ad quod totum ex officio obligabatur Commissarius. Deinde licet in casu, quo ex una parte expresse dominus dicat, ut infimo pretio res sua vendatur; ex altera vero parte neque ex illius dictis, neque aliunde constet, quod hoc infimo pretio in gratiam emptorum contentus esse velit, licet,

inquam, in hoc casu transmitteretur, dominum sufficienter se declarasse, quod pretio à se designato contentus esse velit; at non constat hæc mens Cæsaris in dato casu, cum consideratis circumstantiis videatur voluisse gratificari aliquantulum rusticis, nec totum etiam & justum pretium iisdem solvere. Accedit, uti diximus, quod rustici in gratiam Cæsaris videantur aliquid remississe de justo pretio tritici, unde lucrum Cæsari, non autem Commissariis attribuendum.



CASUS X.

De eadem re duobus successivè vendita.

SEmpronius non sine dolore sui animi percipere cogitur, rem à se perfoluto jam pretio emptam, etiam alijcuidam, Eustachio scilicet, fuisse jam antea venditam, hinc.

- Q. 1. An venditio rei alienæ sit valida?
 Q. 2. Eadem res duobus vendita ad quem pertineat?
 Q. 3. Quale & quantum jus secundus emptor in rem sibi traditam acceperit?
 Q. 4. Quid si eadem res successivè duobus à non Domino fuerit vendita?